



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vera Sapientia**

**Pinamonti, Giovanni Pietro  
Segneri, Paolo**

**Coloniae, Anno M.D.CCVI.**

**VD18 12664146**

Cui solus Deus Homo potuit satisfacere;

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50782](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50782)



staterâ trutinata, tantum ponderis non non habeant quantum habet peccatum unicum lethale ; nec etiam per totam æternitatem, quantumvis milies multiplicata, ejusmodi confectura sint summam, ex qua satisfieri debito huic possit. (E) Id rectè intelligendum est: nempe ex eo, quòd peccatum sit injuria Majestatis infinitæ, contrahit inde aliquam malitiæ & deformitatis infinitatem, quæ rei creatæ obsequio expleri neuiquam potest.

## PUNCTUM II.

Christus solus huic debito satisfecit.

*Cum non haberet unde redderet. Math. 18. 25. Christus mortuus est pro peccatis. 1. ad Corinth. 15. 3.*

II. **C**onsidera quòd, cum impar sis solvendo huic tam immenso debito, Deus ipse solaturus venerit in hunc mundum, & indutus humanam carnem, per bonitatis quendam excessum, sibi met ipsi imposuerit onus satisfaciendi divinæ justitiæ ; ad quod,  
opus



opus erat infinito meritorum thesau-  
ro. Huic fini, quamvis unicum suspi-  
rium à Christo emissum, suffecturum  
erat abundantissimè, nihilominus ad  
demonstrandum odium suum adver-  
sus peccatum, & inculcandam nobis  
malitiæ ejus gravitatem ex pretio me-  
dicinæ, subdidit semet sponte suâ tan-  
tis doloribus internis externisque, ut  
eorum comprehendere magnitudi-  
nem intellectus humanus nequeat; &  
divinus vates, visa eorum imagine  
quapiam, aliud aptius nomen non re-  
pererit, quo compellaret, quàm vastis-  
simi maris, circumquaque latissimè  
diffusi, nec ullo termino aut littore co-  
ercendi. Pone tibi ob oculos aliquan-  
tis per Crucifixi Servatoris tui imagi-  
nem attentius considerandam, vide  
omnibus patientem sensibus, singu-  
los quippe proprium suum tor-  
mentum exercet; vide membris etis-  
am omnibus excarnificatum, siqui-  
dem à planta pedis ad verticem usque  
capitis non est in eo vel tantilla pars  
cruciatu suo immunis vide ab omni  
ho-



hominum genere divexatum, qui tamen in aliis omnibus discordes, in id solum conjuraverant collatis calculis, ut Dei filium exquisitissimis tormentis, citra commiserationem, excarnificarent: perpende quid sit, virgineum illud corpus, ex perfectissima sui constitutione, delicatissimo sensu præditum, subijci crudelissimæ carnificinæ verberum, quæ in ipsum, sævæ instar grandinis, ictibus millenis cadebant, non flagellis tantum, sed & catenis, & nodosis fustibus incussa, à sceleratis illis manibus carnificum, tum suamet rabie, tum instigatione dæmonum supra bestias sævientium. Perpende quid sit, inaudito tormenti genere redimiti coronâ, cujus spinæ duæ ultra septuaginta, illam divinæ sapientiæ regiam, caput illud adorandum, totidem mucronibus immaniter confodiant. Quid sit, tres horas integras pendere, tribus clavis suffixam cruci, nudum, citra ullam virium restorationem, ab omnibus derelictum, denique acerrimos inter cruciatus, præ dolorum vehementia

men-



mentia, super infami ligno mori. Spina  
unica, plantæ leonis infixæ, regi illi ani-  
malium extorquet præ dolore rugi-  
tum: quis igitur quantûsque fuerit cru-  
ciatus, tanto temporis spatio, tribus  
duntaxat clavis, totius molem corporis  
sustinere, caput habere tot spinis  
transfixum, millenis & millenis vulne-  
ribus fundere sanguinis rivos? quis, in-  
quam, iste quantûsque fuerit crucia-  
tus? adde huic dolorum cumulo op-  
probria insuper, ignominiosa blasphe-  
mæque dictæria, adde internos, eôs-  
que longè gravissimos cruciatus, qui-  
bus amoris sedes, cor illud amantis-  
simi JESU, multò acerbius lancinatum  
est, atque hos, mensurâ amoris ipsius  
erga patrem, & odii adversus peccat-  
um magnitudine emetire. Sunt, qui  
scribant ex Doctoribus, Christum  
tantum fuisse passum, quantum pœnæ  
temporalis merebantur in hac vita  
omnia totius mundi peccata præterio-  
ta, præsentia, ac futura, neque id so-  
lùm æstimato valore, quem Christi  
tormenta à deitate trahebant, sed eti-



am servata proportione, quæ ex solis naturæ humanæ viribus, reperiri debebat, debitum inter, & satisfactionem. Quod si ità est, quis unquam cogitatione exhauriet abyssum illam pœnarum, quis fundum attinget amarissimi hujus dolorum Oceani? id sanè certum est, atque indubitatum, non suffecturam fuisse, citra grandemiraculum; tam immanibus tormentis Christi servatoris vitam, sed idem ille Deus, qui toties patrat prodigia, nè fideles sui cogantur pati, eadem in semetipso tunc iteravit, ut pati posset omni humanâ fide majora,

### PUNCTUM III.

Quid ex prædictis sequatur.

*Peccata nostra ipse pertulit in Corpore suo, ut peccatis morcui justitia vivamus. 1. Petri 2. 24.*

III. **I**Tà ratiocinare: si peccatum foret malum tantùm imaginari-  
um.